



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118464

Anno Christi MDXXXI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

Anno Christi MDXXXI.

Carolus Imperator Natalem Domini Coloniae celebravit cum magna frequentia omnium Electorum atque aliorum multorum Principum, ad eligendum novum Rom. Regem Consortem Imp. jussu Caroli Imper. Noluit autem Carolus Imp. electionem novi Rom. R. Francofordiæ celebrare, consensu simul & Consilio Rom. Pontif. Legati Campesii Cardin. Electorum omnium, atque aliorum Principum, juxta antiquam consuetudinem, & tenorem Bullæ aureæ, propter obstinationem in falsa doctrina Lutherana, qua ipsi Francofurtenses infecti erant, & Cæsari rebelles, nec ejus aut aliorum statum sanis consiliis acquiescere volentes. Itaque in Vigilia Epiphaniæ Coloniae Ferdinandus Rex Hungariæ, & Bohemiæ, in Romanorum Regem unanimiter a quinque Electoribus Alberto A. Mogunt. Hermano A. Coloniensi, Joan. A. Trevir. Ludovico C. P. Joachimo March. Brandenburg. electus, & 11. Jan. Aquisgrani ab A. Coloniensi coronatus est.

Convenerant eo tempore Principes Lutherani, & civitates alique eorum adhaerentes in civitate Schmalkalden, quæ sub ditione est Joannis Ducis Saxoniae, atque Landgravii Hassiæ, & Wilhelmi C. de Hennenberg, ibidem tractantes, quomodo impedi-

pedire possent, ne Frater Caroli Imp. Ferdinandus in Rom. Regem eligeretur. Miserunt itaque ad Coloniam Joan. Fridericum Electoris Joan. Ducis Saxoniae filium cum 150. equitibus. Is Dux Saxon. eo die, quo electio novi Regis Coloniae celebrari debebat, & Carolus Cæsar Ecclesiam adiret, loco Patris sui ante Imp. ensen portavit: & post Missam cum Electores pro electione novi Regis Capellam intrare vellent, Joan. Fridericus D. Sax. Electores accessit, & publice de loco electionis, & contra electionem Ferdinandi Regis protestatus est, afferens eandem esse contra ordinationem & statuta aureæ Bullæ. Electores autem ejus protestationem non curantes, Capellam intraverunt, & concordantibus votis Ferdinandum in Rom. Regem eligentes publice exinde proclamando, populo publicarunt.

Basileenses & alii Helvetii occiderunt 1500. Anabaptistas, qui se in uno cuneo congregaverant. In Höchstetten 6. viri Anabaptistæ decollati sunt; & certi dimissi, qui errorem revocaverunt. Et hi, qui fuerunt dimissi, dicebant, se ab antiquo viro rebaptizatos fore, & exinde confestim ab oculis illorum evanuisse, affirmabantque illusionem diabolicam fuisse. Talem illusionem diabolicam affirmabant certi viri ex pago Aislingen, ubi circiter 300. Anabaptistæ convenerant. Qui ab equitibus Ligæ Suevicæ dissipati sunt.

Sabba-

Sabbato ante *Lætare* in oppido Gundel-
fingen 3. mulieres Anabaptistæ in aqua sub-
mersæ sunt, & vir unus decollatus. Ex ur-
be Laugingen ultra 30. viri & mulieres edu-
cti sunt, ejusdem farinae, in perpetuum exi-
lium. In una navi 53. viri & mulieres Ana-
baptistæ ex Ulma atque Laugingen, descen-
derunt per Danubium Moraviam adire vo-
lentes, qui omnes in Straubingen capti sunt
per Wilhelmum Ducem Baviariæ. Qui cum
viderent, quod ipsi omnes ad mortem adju-
dicarentur, errorem omnes revocaverunt,
præter tres, qui decollati sunt, ceteri au-
tem dimissi sunt satisfactione accepta.

Volfgangus Wogelman Burgravius Au-
gustenf. vir Grandævus honestus in multis
expertus, facundus & prudens, qui ad cer-
tos annos antea fuerat Scriba primarius,
seu alio nomine Cancellarius Memmingenf.
Senatus, deinde Secretarius Episcopi Au-
gustenf. & demum Augustæ ab eo Burgra-
vius institutus est. Is Burgravius in diæ-
ta Augustensi Imperiali a Cæsare impetra-
vit pro filiis Præcepturam, & adhuc unam
Præbendam in urbe Memmingen. Ipsi au-
tem Memmingenses odio habebant ipsum,
eoquod ex ipsorum servitio recedens, se in
curia Episcopi Augustenf. officio mancipas-
set, cum illorum omnia secreta sciret, &
& ipsi Memmingenses hæretici Zwingliani,
manifeste Cæsari rebellassent obstinatissime,
timebant, ne forte ipse Burgravius, cum
quo-

quotidie apud Cæsarem versabatur, eorum secreta ad aures Caroli Imp. deduxisset, quare ei maxime insidiabantur, quod eum non latebat. Quare a Cæsare quoque impetravit salvum conductum sigillo & subscriptione propria manu Cæsaris munimine litteras roboratas, ne Memmingenses ipsum Wolfgangum Wogelman verbis aut factis offenderent in corpore, aut rebus, aut ei impedimentum præstarent, quando illorum urbem intraret, accipiendo possessionem præfatorum beneficiorum, loco filiorum. Dominica itaque die post festum Epiphaniæ ipse Wolfgangus Wogelman contra consilium multorum post horam 10. diei Memmingen intravit, secum habens Cæsareum salvum conductum, eademque hora captus, & confestim ad torturam ductus est, eique objecerunt, quod ejus delatione & traditione occasionem præstitisset Proceribus Ligæ Suevicæ, quod in seditione rusticorum 12. viri cives Memmingenses ab eis decollati sint. Qui respondit: verum esse, quod seditiosos hos denominavit, id autem eum non alia causa fecisse, nisi ob rempublicam & quietem Memmingensem, quemadmodum ipsis & etiam suevicæ Ligæ juramento adstrictus, mancipatus erat: Tortus autem suspendio variis pœnis fuit per medium illum diem, & totam noctem. Quare coactus confiteri ex pœna inflictâ ad eorum beneplacitum, quæ nunquam antea mente conceperat, aut cogita-

gitaverat, sicuti postea publice revocavit, & publicavit, antequam decollaretur. Et vix dimidia hora antequam decollatus est, suspendio tortus est. Eum itaque in spatio 24. horarum in salvo conductu cæperunt, pœnis examinaverunt, & sine processu juris morti adjudicaverunt. Fuit autem bonis filiis ornatus; Primogenitus fuit scriba Senatus in Laugingen, qui pro Patre interpellavit apud suevicam Ligam in Nördlingen congregatam. Alter filius Secretarius Landgravii Hassiæ, apud certos Principes; alii filii apud C. M. pro crimine læsæ Majestatis.

Augustæ post Epiphaniæ, eo tempore, quo Senatus renovari solet, octo honesti viri Catholici de antiqua fide ex Senatu exclusi & depositi sunt, & alii de nova fide electi.

Prope Augustam in silva *Aycheloch* convenerunt ultra 200. Anabaptistæ, & ibidem per duos dies prædicaverunt, exieruntque in curribus & equis, atque per pedes viri & mulieres ex Augusta ad eos, illos videre, & audire volentes Dominica *Septuagesimæ*.

Dominica *Sexagesimæ* Anabaptistæ venerunt prope Augustam ad patibulum summo mane, & ibidem prædicare cæperunt. Cumque ex urbe viri & mulieres eos accedere vellent, a Senatu prohibiti sunt. Et solummodo 4. majores portæ apertæ sunt, quæ &

& cum multis custodibus conservatæ sunt, ne eos aliquis adire posset. Magister civium Magnus Seitz cum equitibus urbis ad eos accessit, iussitque post prandium abire.

Dominica *Reminiscere* Augustæ venerunt 10. viri & 3. mulieres de Secta Anabaptistarum hora prima ad domum prædicationis Monasterii S. Udalrici, & ibidem in magna frequentia populorum prædicaverunt 5. viri unus post alium usque ad vespervas. Bis autem seditionem concitaverunt. Quare Præfectus urbis cum servis suis eos accessit, & captivos ad carcerem duxit. Quatuor autem viri, & 3. mulieres, eos subsecuti sunt, clamantes: quod etiam de eorum societate essent, petentes, ut etiam cum eis incarcerarentur, quod & factum est. Maxime prædicando clamabant adversus Lutheranos dicentes: quod Senatus eos pati non deberet: & quod iussione multorum prædicassent, ajebant: ut qualis doctrina illorum foret, palam facerent, cum a Præfecto caperentur, plebs Augustana fugam iniit, ac si turbo pulveres dispergeret.

Augustæ subsequente hebdomada capti sunt ultra 40. viri & mulieres Augustenses, qui Anabaptistas hospitaverant, atque de eorum Secta erant; qui exinde extra urbem in exilium missi sunt.

Augustæ Præfectus urbis Feria sexta ante *Lætare* per plateas urbis incedens præ-

gonis

conis voce proclamari fecit: si quis Augustensium Anabaptistam in hospitium susciperet, vel victum administraret, hunc Senatus punire vellet in corpore & bonis suis.

In pago Zufsmarshausen ejusdem farinæ 3. viri decollati sunt, & 6. mulieres juvenulæ in aqua submersæ sunt.

In octava Epiphaniz equites Suevicæ Ligæ comprehenderunt in curia rusticana prope Alen nomine Manteldorff 17. Anabaptistas, qui omnes simul in præfata domo inclusi, igne consumpti sunt, cum omnibus habitaculis, quæ ad curiam ilam pertinebant. Et ipse rusticus paterfamilias illius curiæ cum duobus filiis in arbore suspensus fuit, eoquod ipsos hospitaverat.

Liga Suevica ordinavit 1000. equites ad requirendum & occidendum Anabaptistas.

Interim quo Joachim Marchio Brandenburgens. in Imperiali Augustensi diæta fuit, *Stendalienses* in absentia sui Principis (urbs enim *Stendel* proprio jure ad Marchionatum pertinet) Lutherani facti sunt. Et insuper Clerum atque Ecclesias spoliaverunt. Quare Joachim Marchio Brandeb. ex Augusta filium suum Joachim ad Brandenburg. misit, ut *Stendalienses* compesceret, reosque vinculis manciparet, quousque ille ex diæta suam Principatum adiret: curam insuper haberet, ne aliæ ejus civitates etiam talia præsumerent. Junior itaque Marchio in pa-

triam reversus mandatum patris fidelissime profecutus est. Stendalienses itaque post reversionem Joachim antiqui Marchionis tali modo puniti sunt. In Festo Paschalis, principales 22. viri pœnituerunt, qui nudipedes, & nudo capite, gladium nudum una manu, baculum album altera gestantes manu, in processione circuire coacti sunt. Et refarcient Clero damna illata. Et dederunt emendam Joachim Marchioni Brandeburgensi Principi Electori 10000. fl.

Eodem tempore convenerunt in Magdeburg civitates Saxoniae, consulere invicem, quid illis facto opus esset? concluderant ibidem illi de Gossaria & de Göttingen, & de Hildesem, & Havonaria cum illis de Embeck, quod Cæsaris jussionibus obedire velint. Sed Magdenburgenses & Braunschvicenses in solita malitia obdurati permanserunt: Lubeccenses plus aliis insanire cœperunt.

Falsus rumor venit in Biberach urbem post Festum Paschæ, quod Ulmenfes destruxissent omnia Altaria Ecclesiarum, Missasque celebrari in futurum prohibuissent. Apposuerunt & ipsi manus, ac Altaria destruxere, imaginesque SS. fregerunt, Lutherizantes, contra promissionem Carolo Imperatori factam. Cum autem comperissent, se vaga relatione deceptos fuisse, Ulmæque adhuc omnia Altaria integra fore (cum Biberach

berach tantum 4. milliaria ab Ulma distaret) cives in seditionem inde concitati boni Catholici cum Lutheranis, eoquod Ecclesias profanassent, multi ex utraque parte vulnerati & occisi sunt.

Idem fecerunt oppidani in Waldsee, quæ dum generosus D. Georgius Truchses de Walpurg oppidi Dominus comperisset, 40. equites ad Waldsee misit ex Stutgardia (eoquod ibidem residentiam, veluti Gubernator Ducatus Wirtembergens. habebat) ut postquam Waldsee ingressi essent, excubias urbis cum his civibus, qui recte de fide Catholica sentiebant, ubique ad portas custodiam observarent. Quo facto vellet eis eadem die de sero equitatum transmittere, quo omnes Lutheranos transgressores castigare, captivare, & occidere possent, secundum demerita illorum; cum autem 40. equites Waldsee intrassent, mox oppidani portas urbis clauserunt, timentes prævaricationem illorum ulcisci a suo domino irato: & armata manu contra 40. equites infurrexerunt, eosque usque ad unum neci tradiderunt. Equites autem videntes se propter fidem Christi morti destinatos, viriliter agentes, & ipsi multos oppidanos occiderunt. Cum autem post vespertas Equitatus a Georgio Truchses missus ad Waldsee, nec intrare valentes audientes rebellionem civium, ac stragem equitum, ad Dominum suum reversi sunt; qui exinde tantum dolo-

rem concepit, quod infra 14. dies finem vitæ fecit: lecto decumbens mortuus est.

Moniales in oppido *Gundelfingen*: Ord. S. Augustini omnes unanimiter de Monasterio exierunt, sæculares effectæ sunt, matrimonia contrahentes. Inter quas duæ septuagenariæ extiterunt, relinquentes Monasterium & bona illius Principi civitatis Othoni Henrico Palatino. Princeps vero Otho Hainricus bona Monasterii sibi usurpare nolens, cum postea Senatus Ulmenfis tanquam hæretici omnem cultum divinum evertissent, & Clerum eiecissent, Moniales in oppido *Geislingen* quoque effugaverunt; quas Otho Hainricus Palatinus pie suscepit, & in Monasterio *Gundelfingen* collocavit, & eis omnia bona Monasterii assignavit. Ulmenfes dederunt omnibus Monialibus in simul pro illarum sustentatione 2000. fl. una vice tantum: & hanc pecuniam secum ad *Gundelfingen* detulere; erant enim inter illas multæ nobiles personæ.

Ulmenfis Senatus convocavit ad *Ulmam* *Oecolampadium*, *Zwinglium*, *Buzerum* *Archihæresiarchas* cum suis altilibus ultra 100. Et post habitum conciliabulum circa Festum Joannis Baptistæ præcepit Senatus ibidem, ut omnes rurales sub pœna 16. cruciferorum, sermonem præfatorum hæreticorum adirent. Deinde isti pseudo-prædicatores per Magistrum civium Ulmensem *Bernardum*

ardum Besefer in ditione Ulmensium ducti sunt de oppido ad oppidum, de pago ad pagum, ut senes ac decrepiti viri atque mulieres simul & juvenes pseudoprophetarum communionem ac falsam doctrinam audirent, arbitrans se obsequium præstare Deo, ut omnes subditos seduceret, sicuti ipse cæcus seductus fuerat.

Cumque ad oppidum Gaislingen venissent, rogabant incolæ omnes, in communi, ut permittantur vera Catholica fide in pace frui, alias alium Dominum quærere velint. Sed apud Ulmenses nihil obtinere valuerunt, sed excluso Plebano ibidem viro doctissimo, & honesto cum omni Clero, Lutheranam & Zwinglianam Sectam instituerunt, ac deinde Ecclesias profanantes, omnia Altaria destruxerunt. Taliter in Leipheim, Alpeck, Nau, & aliis villis eis subiectis fecerunt.

Ulmenses in Comitatu Helenstain æque facere statuerunt, sed oppidani in Heidenheim, & Abbates Monasteriorum atque villani in Brenzenthal id facere recusarunt, asserentes Comitatum Helenstain Ulmensibus non venditum seu emptum, sed solummodo impignoratam fore, & spectaret ad Ducatum Wirtembergensem, ejusdem Ducatus Rectores (quos vulgus Regentes nominat) accedere vellent, & de hac re eos consulere, alias a tramite veræ fidei Catholicæ atque norma veritatis recedere nollent.

Bernardus Besserer Magister civium fuit obstinatissimus Zwinglianus, & caput omnis mali. Is in Senatu Ulmenfi egit, quod filius ejus, fratres, amici, & affines ejus, contra consuetudinem communem a Senatu in consules, Senatores, atque judices electi sunt. Electi quoque sunt in Consules & Senatores Apostatæ Sacerdotes, qui Matrimonium contraxerant.

His omnibus peractis Ulmenfis Senatus convocavit omnem Clerum, inhibuitque eis, ne ultra Missas celebrarent. Æque fecerunt in villis suis sub pœna capitis, & Laicis prohibuerunt, ne Missas audirent sub perpetuo exilio ab urbe Ulma. Quo factò Senatus elegit 200. viros, quos ad Ecclesiam Parochialem B. M. V. misit, ubi erant ultra 70. Altaria, & valde pretiosæ tabulæ, ut omnia Altaria everterent, tabulas atque imagines SS. confringerent, Organum conquatiendo, ad terram dejicerent, domumque lapideam valde pretiosam ubi V. S. locatum fuerat, in acervum minutatim præcipitarent. Dicitur tamen hæc interventu cujusdam integra permanisse. Sicque factum est opera diaboli, ut tam egregia opera tabularum atque imaginum valore ultra centena millia aureorum, in tribus diebus omnia destruerentur, frangerentur, & profanarentur, quod vix credibile sit, ut tantum laborem in 14. diebus perficere valuissent; sicque speluncam latronum erexerunt.

Sena-

Senatus Ulmenfis omnes Religiofos convocavit, eis mandans, ut in certo termino præfixo, ipfimet in fuis Ecclefiis fua Altaria, & omnes imagines SS. confringerent, alias Senatus vellet contra eos procedere, tanquam contra rebelles. Cumque Religiofi coacti id opere perfeciffent, iterum ad Senatum vocati funt: quibus Senatus perfuafit, ut habitum deponerent, exinde vellet eis Senatus provisionem conftituere.

Prior Ordin. Prædicatorum cum certis fratribus id recufavit, Stutgardiamque adiit, & ibidem fe Conventui fui Ordinis fe adiunxit, & antea quæcumque pretiofa fui Monafterii & litteras testimoniales cenfuum, decimarum, atque prædiorum ex Ulma occulte eduxit. Quod cum Ulmenfis Senatus percepiffet, ægre id tulit, & prohibuit fub graviffima pœna in ditione illorum, ne quis cenfum aut redditus Fratribus de Ordine Prædicatorum perfolveret, fed ipfos redditus ac cenfum Cameræ Ulmenf. Senatus perfolverent. Fratribus de Ordine Prædicatorum, qui apoftataverant, dedit Senatus unicuique folummodo 10. aureos, ut cum his quilibet artem apud Mechanicum addifcere poffet, unde victum ad fufstitutionem quærere poffet.

Prior Ulmenfis & fui Fratres de Ord. Prædic. afcripfit, & dedit omnes cenfus & redditus fui Monafterii in Ulma, Monafte-

rio in Stuttgarten. Et exinde auxilio Ferdinandi Regis accessit Carolus Imperator, supplicans S. M. ut cum Senatu Ulmenfi ageret, quatenus permitterent redditus & census sui Monasterii Fratres in Stuttgarten sublevare, & percipere, ubi ipse & sui fratres alerentur. At Imperator his auditis scripsit ad Ulmensium Senatui, ut sub maxima pœna, & privatione omnium Privilegiorum, illorum ablata restituerent, & ne ultra redditus atque census illorum perciperent, seu arrestarent, sed eos ut prius levare & colligere permitterent. Quod coacti, involuntarii fecere.

Ulmæ Canonici Regulares in Monasterio, vulgo S. Wengen, omnes Monasterium præfatum Senatui ibidem una cum redditibus & proventibus resignaverunt, idque litteris & subscriptionibus suis manibus firmaverunt. Et exinde una die, videlicet in Festo S. Afræ Martyris, omnem habitum Religionis deposuerunt, præter unum Hieronymum Rem nomine, qui Podagra laborabat. Cui Senatus Ulmensis nomine præcarie omni anno omnibus diebus vitæ suæ promisit 100. fl. & sufficientes sigillatæ litteræ ei datæ sunt. Et hujusmodi centum floreni fideliter ei a Senatu persolvuntur, ubicumque locorum fuerit. Ipse fere per unum annum fuit Augustæ: Deinde adiit amicum suum Episcopum Labacensem. Ceteris

teris Fratribus æque similis precaria 100. fl. vel qui velint uxores ducere, seu alias libentius promptam pecuniam habere, dedit Senatus 500. fl.

Præpositus illorum ante certos dies conceptum Senatus Ulmenfis conjecturans, cum clinodiis, privilegiis, litteris censuum, & reddituum, atque grandi summa pecuniarum, clam ex Ulma profugit ad *Plaubeyren*: Nam habitum Religionis deponere nolebat, sperabatque, quod Fratres sui Conventus id quoque facerent, ac fuga ipsum sequendo, illum accederent, cum magnam summam pecuniarum haberet, eos secum sustentaret, donec ipse a Carolo Imperatore restitutionem impetraret, sicuti etiam pro parte factum fuit, quamvis suus Conventus apostataverat.

Senatus Ulmenfis cum percepit Præpositum cum suo thesauro, atque litteris originalibus fuga elapsam, suspicatus est id actum fore consilio & auxilio duorum suorum Germanorum, qui cives Ulmenfes fuerunt. Quare a Senatu mox vinculis mancipati, & ante torturam minas inferendo interrogati sunt, an fuga Præpositi fratris illorum, & ablatio rerum omnium de eorum consilio aut scitu facta fuisset, de hac re veritatem dicerent. Qui jurejurando protestati, ipsis de hac re omnino nullum verbum constare. Deinde tortura interrogati sunt: qui respon-

derunt ut supra. Scripsit quoque Præpositus ad Senatum Ulmenf. excusans Fratres suos de innocentia illorum, protestans se ignorantibus Fratribus suis abiisse, secumque pecunias, & alia quæque sui Monasterii pro sustentatione Conventus sui secum portasse. Ulmenf. Senatus his auditis Fratres Præpositi ex carcere libere exire permisit.

Senatus Ulmenfis in urbe Ulma omnes Capellas ad solum deposuere, quorum lapides vehi fecerunt extra urbem: & ex his fortalitia, atque crassum murum per gyrum urbis fecere. Altas quoque turres deposuerunt, omnia construxerunt deservientia ad bellum.

Die 22. Augusti, videlicet sexta in nocte lucescente in Sabbatum filius Magistri civium Udalrici Rechlinger, qui & ipse Udalricus vocabatur, imagines & Crucifixum Capellæ S. Othmari Augustæ juxta Ecclesiam S. Crucis in frustra concidit una cum uno servo, & postea illa frustra reposuere ante januam domus Portenarii vulgo *Rlön-cherthörlin*, qui erat bonus Catholicus, & sic clam abierunt. Portenarius de mane confurgens, cum fracturas imaginum ante suam domum invenisset, ad domum Magistri civium reportavit. Et in Vigilia Assumptionis B. V. M. mane filius Udalrici Rechlinger incarceratus est. Servus autem ejus evasit.

Sab-

Sabbato post Bartholomæi monialis N. Rechlingerin ex Monasterio S. Catharinæ Augustæ clam aufugit; similiter etiam non longe postea alia monialis N. Gözenhoverin ibidem quoque aufugit.

Christophorus de Bobingen Augustæ in Ecclesia B. M. V. suas primitias celebravit, ac immediate altera die apostatavit, uxorem ducens nuptias publice habuit cum solemnitate.

Vicarius unus Ecclesiæ S. Maritii Aug. de Rauffbâuren nocte comprehensus cum una foemina decumbens in domo, ubi frumenta venduntur, circa Festum omnium SS. & a Servis Augustenf. deprehensus, in domuncula vulgo Marrenhäufstein incarceratus est. Idem Sacerdos Dominica secunda Adventus iterum nocte in meretricio deprehensus, in præfatam custodiam inclusus fuit: ubi die facta magnus concursus populi fuit ad videndum: ubi magnam confusionem & derisionem passus est. Sed exinde dimissus non se emendavit, amore cæcus, in die Innocentum nocte iterum deprehensus, ex urbe eductus est, in ævum nunquam intraturus.

Anno